

quos de gradibus in facultate perceptis eidem debuit, coram tota facultate existente obtulit. Itaque credi posset, Commentaria haec praelecta fuisse in nova hac Studiorum Universitate, quam agente potissimum Job. Vitezio Archiep. Strigon. instituit magnus ille Rex Mathias, nisi Institutio primum in annum 1467. caderet, ut habes in Memoria Academiae Istropolit. Xysti Schierii Eremitae August. Vien. 1774. 4. cujus Opusculis eruditus et jam inventu difficilibus novus sane Collector et Editor optandus foret. Viennae igitur Cathedram ornavit Obrechtus noster patriam nactus Toparchiam non procul distitam Cremisio infer. Austriae; an vero inter majores Obrechtorum, qui deinceps Argentinae claruerunt, fuerit, dicere non habeo. In Academia nostra magistratum, quod sciam, nullum gessit. Quid a mox soluta Istropolitana cum eo actum, non constat; Schierii enim in mox citata Memoria diligentiam fugit.

CLXXI.

- U. 146 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 298. f. per duas columnas bene scriptus, et minio distinctus est Lectura scholastica in D. Matthaei Evangelium, cujus Πогоλογόμενα incipiunt: *In exordio aëus presentis tria sunt per me facienda. Primo divini auxilij invocacio &c.* Reliqua duo, ut mos ferebat, sunt S. Scripturae Laus, et quaedam Lectoris de se ipso. Exposito dein Hieronymi Prologo

ad ipsum Textum sic accedit Noster: *Liber generacionis &c. Hic incipitur tractatus qui dividitur in 4. partes principales secundum quatuor que regalem decent et magnificent dignitatem scilicet genealoya sapientia potencia et clemencia &c.* Extrema sunt: *Pondera igitur elementorum non prohibent quin corpora nostra talia possint habitare in celo. Amen.* Addidit Librarius: *Expliciunt concordancia passionum Mat. Marc. Luce et Job.* Nec immerito; in postremis enim maxime Capitibus Loca harmonica aliorum Evangelistarum Matthaeo adhibentur. Fol. praevio quaedam leguntur inscripta: *Ex collectis magistri Jacobelli (de Misa) heretici, qui ponit necessariam esse communionem sub utraque specie licet hic de hoc nihil habeatur, sed de confessione. Et re ipsa secretam fide auricularem astute suffodit, unde ad marginem monuit Possessor quidam Codicis: Vide caute, venenum latet; et p. 2. Nota iste liber venit de bohemia, sis igitur cautus in eo legendo uel studendo.* Ego vero Locis de Clavium potestate, de Paupertate Apostolorum, et institutione S. Coenae examinatis nihil ab Ecclesiae nostrae sensu alienum deprehendi.

CLXXII.

- U. 137 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 435. f. corrente calamo perscriptus, et rubricis enotatus, olimque, ut anterior Theca praefert, legatus ad librariam domus collegij ducalis Wienne apud fratres